

à Deo genitum dici, quatenus à Deo ex mortuis suscitatus, & ex terra, veluti ex utero, rursum eductus fuit in vitam; nam sic sonant verba; *Nos vobis Euangelizamus promissionem, quæ Patribus facta est, Deum vid: eam explevisse filiis eorum, id est, nobis, suscitato Iesu; ut etiam in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Per suscitationem autem ex mortuis aliquem, recte & merito Filium Dei vocari posse, natura rei indicat; Deus enim solus tūm est autor vitæ istius, & in communionem ejus non venit homo ullus: & locus Luc. xx. 36. arguit evidenter, *Sunt Filii Dei, quia sunt Filii Resurrectionis*: unde & Christus dicitur, *definitus Filius Dei potenter per resurrectionem ex mortuis*, Rom. j. 4. Deniq; ad Hebr. cap. j. 4. apertè dicitur de Christo, *postquam, vel, eo ipso quod consedit ad dextram maiestatis Dei in altissimis, quod tanto præstantior factus fuerit Angelis, quanto excellentius præ illis nomen Κεκληρούμην*. i.e. fortius est. *Nam cui Angelorum dixit unquam, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum, ego ero ei Pater & ipse mihi erit Filius.* Ex hisce liquet, quam inconsideratè Censor hic affirmet, Scripturam Christo Domino nostro, unicam tantum filiationem attribuere ex uno ad divinam & æternam ipsius generationem respectu; & contrà quām rectè, quam solidè Remonstrantes cum Scripturis asseruerint, Christum pluribus modis Filium Dei esse ac vocari. Ne quis verò existimet hoc à Remonstrantibus solis, contra & præter Reformatorum, & cæterorum Christianorum omnium opinionem, statui, is videat quæ in hanc eandem sententiam subjunximus testimonia, quæ instar multorum erunt. Rudolphus Gualterus in Luc. j. *Deinde repetit Gabriel quod prius dixerat, Filius Dei vocabitur, quod non modo ad æternam illius divinitatem, verum etiam ad incarnationem referri debet. Ut enim, quoad divinam naturam, verus & æternus Filius est Christus, ita quoad assumptam carnem quoq; revera Filius Dei dicitur: nam si homines Dei Filios scriptura dicit, ad quos (ut Christus ait) Dei sermo factus est, id est, qui ad munus aliquod peculiare divinitus destinati sunt, quanto magis nomen hoc Christo debetur, qui ut, quoad carnem, absq; viri congressu, spiritus S. virtute & operatione singulari ex virginis substantia generatus est: Ita munus etiam à patre accepit omnium excellentissimum, ut scilicet populi Dei Rex & Sacerdos æternus, atq; unicu*m* humani generis Redemptor sit.* Hieronymus Zanchius parte 2. de tribus Elohim, lib. 2. cap. 6. Sic enim dixit (Angelus) διὸ τὸ γένος ἡμέραν: ideo etiam (id) quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Quorsum illa particula copulativa καὶ, etiam? nimirum, quia vo-

Per suscitatio-  
nem ex mor-  
tuis, merito  
quis vocatur  
Filius Dei,

Citantu*s* te-  
stimonia Re-  
formatorum  
in eandē sen-  
tentiam.

Rudolphi Gu-  
alteri in 1. cap  
Lucæ.

Hieronymi.  
Zanchij de  
Tribus Elo-  
him.